

non pol quo quemquam plus amem aut plus diligam
 eō feci ; sed ita erat res, faciundum fuit.

PA. credo, ut fit, misera praë amore excludi hunc foras.

TH. sicutin agi', Parmeno? age ; sed huc qua gratia

100 te accersi iussi, ausculta. *PH.* fiat. *TH.* dic mihi 20

hoc primum, potin est hic tacere? *PA.* egon? optume.

verum heus tu, hac lege tibi meam adstringo fidem :

quae vera audivi taceo et contineo optume ;

sin falsum aut vanum aut finctumst, continuo palamst :

105 plenus rimarum sum, hac atque illac perfluo. 25

proin tu, taceri si vis, vera dicito.

TH. Samia mihi mater fuit : ea habitabat Rhodi.

PA. potest taceri hoc. *TH.* ibi tum matri parvolam

puellam dono quidam mercator dedit

110 ex Attica hinc abreptam. *PH.* civemne? *TH.* arbitror ; 30

certum non scimu' : matri' nomen et patris

dicebat ipsa : patriam et signa cetera

neque scibat neque per aetatem etiam potis erat.

mercator hoc addebat : e praedonibus,

115 unde emerat, se audisse abreptam e Sunio. 35

mater ubi accepit, coepit studiose omnia

docere, educere, ita ut(i) si esset filia.

sororem plerique esse credebant meam.

ego cūm illo, quocum tum uno rēm habebam hospite,

120 abii huc : qui mihi reliquit haec quae habeo omnia. 40

PA. utrumque hoc falsumst : effluet. *TH.* quī istuc?

PA. quia